

I. N. J.  
DISSERTATIO  
DE  
**UTILITATE  
MATHESEOS  
IN  
OECONOMIA,**

Quam,  
*Consensu Ampliss. Facult. Phil. in Reg. Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

*CELEBERRIMO VIRO,*

**DN. PETRO KALM,**

Oeconom. PROFESS. Ordin. nec non Societ. Reg.  
Stockh. MEMBRO,

*Publice examinandam siflit*

**GEORGIUS N. MATHESIUS,**

*OSTROBOTNIENSIS.*

Die XXVII. Junii, Anno MDCCCLV.

L. H. Q. S.

---

ABOË, Impress. Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc. Finiand.  
JACOB MERCKELL.

*Viro Maxime Reverendo atq; Amplissimo,*  
**D<sub>N</sub>. G A B R I E L I**  
**M A T H E S I O ,**

S. S. Theol. *Doctori & Professori* ad Acad. Upsal.  
Reg. & Ord. utriusque Consistorii Affessori Gravis-  
simo, *Preposito & Pastor i*n Gammel Upsala  
meritissimo,

Fratri Indulgentissimo.

*Viro Nobilissimo atq; Consultissimo,*  
**D<sub>N</sub>. J O H A N N I**  
**M A T H E S I O ,**

Secretario Provinciali Ostrobotniens. Vigilantissimo,  
Fratri exoptatissimo.

*V*estrorum in me beneficiorum memoriam recolenti,  
clarare possem; etenim non impensis modo, sed  
luti meæ succurristis. Qua igitur svevistis favore &  
inscribere sustineo munuscum, excipiatis, oro atque  
rus, ad bust@ permaneo,

NOMINUM

Fratres

*cultor hu-*  
**GEORGIUS**

Viro Plurimum Reverendo atq; Preclarissimo,  
**D<sub>N</sub>. M<sup>AG.</sup> GUSTAVO  
JUSLENIO,**  
*Pastori in Cronoby meritissimo,*

Affinis loco venerando.

Viro Plurimum Reverendo atq; Preclarissimo,  
**D<sub>N</sub>. M<sup>AG.</sup> PETRO NIC.  
MATHESIO,**  
*Pastori in Pyhājoki meritissimo,*  
Fratri Honoratissimo.

verba desunt, quibus mei in Vos animi pietatem de-  
etiam maturis consiliis & informatione solidissima, sa-  
benevolentia, cartaceum hoc quod Nominibus Vestris  
obtestor. Pro incolumitate Vestrā semper vota fusu-

VESTRORUM  
dilectissimi,

millimus,  
MATHESIUS.

Viro Spectatissimo,  
**DN. LAURENTIO  
BRUNELL,**

Redituum Publ. Districtus Australis Uhleoburgensis  
Prætori Prudentissimo, Vigilantissimo,

BENEFATORI SINGULARI.

**L**ætus certe, & candido calculo notandus hic mi-  
bi est dies, quo ansa suppeditatur ob beneficio-  
rum erga me magnitudinem, meam in Te Benefa-  
ctor optime, publice piam declarare mentem. Ne ve-  
ro temeritatis & audaciæ mibi impingas dicam, inge-  
nue fateor, me imparem esse, qui, insignioris benevo-  
lentia & Tuæ documenta debitum percelebrem laudibus.  
Præstat itaque pectore hæc omnia volvere gratissimo,  
& pia recolere memoria. Mibi profecto nihil prius,  
nihil antiquius erit, quam perpetua observantia eo e-  
niti, ut favore Tuo me in posterum quoque dignum  
censeas, & ut inter humillimos Tui nominis cultores,  
nec langvidum, nec postremum, me unquam invenias.  
Ex imo pectore voveo, velit Supremum Numen quam  
diutissime Tibi vitam omnibus bonis affluentem beni-  
gnissime largiri!

NOMINIS TUI,

cultor humillimus,  
GEORGIVS MATHESIUS,

*Plurimum Reverendo atque Clarissimo,*

**DN. MATHÆ  
SALMELIN,**

*Sacellano in Sijcajoki dignissimo,*

*Patris omnine venerando.*

*A*cipe, quæso, Pater Honoratissime, serena-  
fronte, levissimum hocce munus, pro innu-  
meris, a teneris usque in me collatis beneficiis.  
Vellem, si possem meliora dare, sed cum in mea  
potestate id ipsum non sit positum, ad vota con-  
fugiam. Servet Te DEUS in annos bene mul-  
tos, salvum, sospitem & incolumem!


PATRIS OPTIMI,

*filius obedientissimus,  
GEORGIVS MATHESIUS.*

## LECTOR BENEVOLE.

**E**xigente id a me temporis ad Academi-  
am transacti ratione, & mandato eo-  
rum, quorum interest, ut specimine quodam  
publico, qualescunque meos in scientiis pro-  
fectus declararem, animo constitueram in a-  
lia & ab hac diversa materia ingenii mei  
periclitari vires; sed variæ cædemque in-  
expectatae circumstantiæ svasere, ut consili-  
um hoc immutarem & præsentem, quam Ti-  
bi fisto disputatiunculam conscriberem, cu-  
jus ut mitis esse velis censor, a Te, qua-  
par est observantia contendeo. Neque enim  
omnia, quæ in diviti hoc arguento dici  
potuissent, his pagellis inclusa existimes,  
cum id ipsum & temporis & preli & rei  
quoque domi angustiæ prohibeant; sed a-  
nimadversiones tantummodo nonnullas car-  
ptim lectas, eo imprimis fine, ut materia  
suppetat disputandi, hic invenias. Vale!

§. I.



## §. I.

**D**E utilitate Matheſeos in Oeconomia acturis, non incongruum videtur, secundum ordinem receptum quatuor partium generallium scientiæ hujus, videlicet œconomiæ, dissertationem disponere nostram. Primo itaque nobis ſeſe offert *Res rufica vel agricultura latius ſic dicta*, cuius tanta eſt præſtantia, illa originis antiquitas & jucunditas, ut cæteris omnibus palmam præripiat, faltem dubiam reddat. Hujus fundi septem potiſſimum, uti notum eſt, numerari ſolent partes 1:0 (*a*) agricultura ſtriēte ſic dicta, 2:0 praticultura, 3:0 horticultura, 4:0 silvicultura, 5:0 res pecuaria, 6:0 venationes, & 7:0 denique pifcaturæ.

---

(*a*) Hæc diuiſio utrum ſit ſatis adæquata, vel minus, nos in præſenti non inquirimus. Sunt equidem artificia non pauca, quæ ad rem ruficam potius, quam reliquos fundos proventuum referenda videntur, & tamen ſub his membris diuidentibus jam enumeratis vix comprehenduntur, utpote pifcaturæ concharum margaritiferarum, papporum varia genera, vel gossypia ex herbis & arboribus colligen-

A

di

di artificium, apum & Bombycum cultura &c. similia, quæ tamen ad hanc vel illam partem rei rusticæ pro arbitrio referri posse existimamus. Plantationes varias e. g. lupuli, Nicotianæ, solani tuberosi, alias Potatoës dicti, plantarum tintioriarum aliarumque variarum, ad horticulturam referimus; etenim nullum videtur fundamentum, cur ab horticultura distingvantur. Piscationes vero a venationibus discernendas esse firmiter contendimus; si vero venationes quascunque terrestres ad silviculturem quoque referre alicui placuerit, illi non multum reluetabimur. Si etiam quis venatus, aucupia & piscatus ad diversam classem referre, quintamque ex his partem generalem œconomiae privatæ constituere mallet, non repugnabimus; vario enim modo variæ res dividi & disponi possunt.

## §. II.

**I**N omnibus enumeratis rei rusticæ partibus insignis adeo est variarum disciplinarum Mathematicarum usus, ut nihil firmi, nihil solidi & perfecti, his spretis, in illis sperare liceat. Situs agrorum, pratorum, hortorum & silvarum, sunt indagandi; area, quam quælibet continent, est inventienda, inclinationes & elevationes locorum sunt determinandæ, ut effectus radiorum solis aliquatenus cognosci & necessarii aquarum ductus prudenter effodi queant. Geometriæ vero ignarus & librationum imperitus in his omnibus nihil certi perspiciet. Hinc non raro evenire observamus, ut in seminando & saginando, arearum debita non habeatur ratio, interdum major seminum & steroris in agris dispergitur copia, quam ut ei respond-

spondentem expectare liceat messem, & contra. Fos-  
sæ & aquarum ductus interdum eo diriguntur, u-  
bi vel nullum vel saltim justo majoribus impensis  
comparandum inveniunt exitum, hinc plures &  
profundiores, illinc pauciores & minores, quam  
locorum situs exegisset, effodiuntur. Ne tamen  
existimes, nos, in seminando & suginando, area-  
rum tantum, habendam esse rationem, & a sola  
locorum elevatione & situ, fossarum multitudinem  
determinandam, svadere, lubentes enim concedi-  
mus ipsius quoque terræ, ne dicam seminum, in-  
dolem, aëris temperiem & anni tempus esse con-  
sulenda. Hæc vero omnia in præsenti, nostræ non  
sunt considerationis.

Mechanicæ quanta sit necessitas dici vix pot-  
est, nec chartæ sufficiunt, ut omnia illa enume-  
remus mala, quæ ex neglectu nobilissimæ hujus  
scientiæ originem ducunt. Rus te conferas, la-  
bores, machinas & instrumenta ruricolarum in-  
tuearis, occurrent tibi sepimenta plerumque li-  
gneæ, non solum vitio materiei ex qua constant,  
sed structuræ sæpius absurditate, vel humi prostra-  
ta, vel brevi corruitura, foraminibus & aperturis  
referta, fini suo inepta. Occurrent varii generis  
aratra & a jumentis & ab aratore magnam virium  
jacturam poscentia, non tam ex indole ipsius ter-  
ræ & agrorum excogitata, quin potius ex con-  
suetudine antiqua recepta. Occas, cylindros agra-  
rios & varia alia videbis instrumenta ad glebas  
terræ comminuendas & agros pro votis æquandos

A 2

con-

constructa, quæ tamen omnia vel pleraque fini obtinendo minus sunt idonea, quam quidem esse potuissent, si a mathematum & mechanicæ imprimitis perito fuissent elaborata. Currus, trahas & ad hoc vecturæ genus pertinentia instrumenta varia ita videbis constructa, ut onera multo minora, quam fas est, illis provehi possint, magnam etenim partem virium suarum frustra impendere coguntur jumenta vecturis adhibita.

Si segetum messem & coacervandi modum penitus paulo perpenderis, videbis vel nimium protrahi hos labores sive segetes variis temperatum injuriis exponi, vel etiam magnam frumenti copiam frustra dispergi, si violentius & cito messis peragatur. Omnis tamen non periit spes posse aliquando a solerti & experto Mechanico machinam quandam excogitari, qua utrius huic malo obviam eatur.

Segetes terendi & a paleis segregandi labor, quam sit tædiosus & quantum sudoris tritorum expellat, nemo est, qui ignorat. Tauris & aliis etiam jumentis ad hunc laborem sublevandum gentes uti Orientales, notissimum est. Fuere nostrum nonnulli, qui machinas varias eodem fine excogitarunt; sed minus forte idoneas. Nullum tamen peritis in arte est dubium, posse machinam inveniri, qua frumenti a spicis, culmis & paleis segregatio summo cum lucro posset institui, quæque machina tota a ventis, & si locorum id permiserit ratio, ab aquis agitari poterit. Ad sublevan-

levandos labores in conferendo agro, machina-  
rum exhibita sunt a nostratisbus specimina, quarum  
non contemnendus esse posset usus, modo iisdem  
ad vesier vellent ruricola, sed cum seminum in  
agros dispersio graves adeo vel impensas vel labo-  
res non requirat, difficulter hoc obtineri posse  
auguramur. In pratis varia adhibentur instrumen-  
ta ad fœni secium & fœni coacervationem neces-  
saria, hæc multum variare videbis, & in qualibet  
regione semper fere esse dissimilia, cave autem  
credas quomodo cunque facta instrumenta æque  
idonea esse censenda, alia enim aliis præstantiora  
erunt, alia structuræ corporis nostri convenientio-  
ra, alia incongrua magis; neque præstantissima  
ex tot diversis alias eliget, quam Mechanicæ gna-  
rus; fœnum dum in majores congeritur acervos,  
in quibus per hiemem conservabitur (hōstackar)  
facile vel ventorum autumno & hieme imminen-  
tium violentia dispergitur, vel aqua pluvia made-  
factum putreficit, nisi debitam & accuratam adi-  
piscatur acervus figuram, & tam perticis perpen-  
dicularibus axin quasi acervi constituentibus, quam  
fustibus fœnum superne tegentibus, secundum prin-  
cipia Mechanica dispositis, sustineatur & fulciatur.

In hortis itidem hortulanorum labores diver-  
sa exposunt instrumenta, quorum effectus & præ-  
rogativas non aliis accurate determinabit, quam  
Mathematicus. Quælibet arbor ad sui culturam ea  
exposcit principia, quæ ex Matheſeos penu sunt  
haurienda; radix enim est basis cui tota reliqua

arboris insistit moles, si vero rami in hanc vel illam plagam justo magis ex crescant, arbor non poterit non radicibus everti & corruere. Rami itaque in apice arborum dum absinduntur, patet omnino hortulano observandum, quod facta abscissione centrum gravitatis ex tota mole arboris radici insistat, quod si fieri nequeat, fulcris sustinendam esse. Quæ fenestrarum in caldario & vaporariis optima inclinatio, qua radiorum solis maxima vis colligi possit: horti situs præstantissimus, variæque hortorum delineationes, & alia hujusmodi, e principiis Mathematicis haurienda sunt.

Hydrostaticæ & Hydraulicæ quanta sit in horticultura necessitas, nemo nescit, quomodo aquarum ductus & receptacula commode sint collocanda, instrumenta ad irrigationes necessaria & maxime idonea construenda, varia denique aquis propulsoribus elegantia concilianda, nemo harum imperitus perspiciet.

Venationum sylvestrium ea est ratio, ut solertium mathematicorum auxilium omnino desiderant: requiritur ut situs locorum & silvarum probœ sit cognitus, œconomia & vivendi ratio quorumlibet animalium venatori perspecta erit, sciat, necesse est, pericula, quæ solius naturæ instinctu hæc vel illa animalia plerumque evitare solent, & quænam parvi faciant; hæc vero omnia licet probœ noveris, desiderabis tamen optima decipiendi artificia si mechanicæ fueris ignarus, quomodo variii generis laquei avibus (fogelfällor, fogelsnarror)

ror) ursis & lupis (Biörngropar, Wargropar, felior och snaror &c.) rangiferis, vulpibus, castori-  
bus, gulonibus, lyncibus, mustelis, martibus & cæ-  
teris similibus, sint optime construendi & tenden-  
di. Arcus & bombardæ quomodo sint conficien-  
di, tendendi & dirigendi, solers docebit Mathe-  
maticus & non aliis. Mille exemplis hæc omnia  
confirmari possent, nisi brevitas, cuius adeo cogi-  
mur esse studiosi, id ipsum prohiberet.

Piscationes, quanto maiores pollicentur divi-  
tias, tanto maiores merentur sagaciorum curas &  
conatus. Dici autem non potest quantum omnes  
fere matheſeos partes plicationibus emolumen-  
to esse possent; navigationes ad diffita oceani loca  
sunt instituendæ, retia, sagenæ & alia innumera  
instrumenta, sunt comparanda, quorum vero stru-  
cturam optimam jam esse inventam temere ne-  
mo affirmabit, invenienda vero est a Mathemati-  
co non rudiori, sed felicissimo. Sagenas, quibus  
ad capiendos pisces utimur, quasque funiculis affi-  
xis per hos vel illos marium tractus ducimus, a-  
liquanto diutius perpende, & quæ non credidisses  
attentionis tuæ reperies objecta non indigna, fu-  
niculos, a summa & ima retis parte adligatos TEL-  
NAS dicunt, quorum justa nisi fuerit ad se invi-  
cem eademque non facile determinanda propor-  
tio, videbis dum trahitur sagenda superiorē quo-  
que telnam ad fundum deprimi, vel etiam imam,  
licet ponderibus oneratam, fundum deserere, &  
sic piscibus exitum patere. Ut plura, non minoris  
momenti, reticeamus.

Pisca-

Piscationum quæ in fluminibus instituuntur, quam dolenda quæso est conditio? Claustra & se-  
pimenta, quæ in cataractis ædificari solent ad pi-  
sces capiendos, sæpius penitus evertuntur, semper  
hinc illinc diffringuntur, quotannis denuo exstru-  
untur & sylvarum aliarumque impensarum immen-  
sa fit jaætura. Ostia fluminum a defluente quoque  
terra & limo paulatim obturantur, nunquam ve-  
ro effodiuntur, sicque pisces ab introitu prohiben-  
tur. Omnibus vero his malis quis medebitur, ni-  
si Hydrostaticæ & mechanicæ peritus.

### §. III.

**T**OIUS rei metallicæ, quam misera foret con-  
ditio, nisi Mathematicorum industria, varia  
ad gravissimos labores mitigandos, excogitasset ar-  
ticia. Innumeræ minerarum in patria si adea-  
mus fodinas, reperiemus malleis, cuneis, & te-  
rebris, mineras effodiendas esse, machinis dein  
variis e fodinis sursum esse evehendas, fodinas  
vero ipsas vel dudum corruisse, vel brevi fore  
corruituras; nisi convenienter principiis Mathema-  
ticorum essent effossæ, atque tignis variisque a-  
lliis ingeniose excogitatis machinis fultæ. Depre-  
hendimus illam sæpius in fodinis esse aëris condi-  
tionem, ut laborantes in illis fossores mortem bre-  
vi subirent violentam, nisi aërometrarum huic  
malo mederi potuisset sagacitas; illam porro aqua-  
rum undique profilientium abundantiam, ut irritus  
omnis fuisset labor, nisi varias excogitassen<sup>the-</sup>

themati ci machinas, aquis exhauriendis idoneas, a ventis, animalibus, cataraetis a longinquo sitis, & igne etiam agitandas.

Hujusmodi machinarum plurima ad fodinas, imprimis Falunenses, Salbergenses & Dannemoren-ses prostant exempla; sed sequamur mineras, quæ a fodinis elatae, jam curribus, trahis, &, si locorum situs permiserit, cymbis etiam & scaphis ad ustrinas & furnos fusorios devehuntur, ibi non minor occurrit machinarum apparatus, ad fusionem mineræ rite peragendam necessarius. Ipsius jam mineræ contusionem, furni molem & stru-eturam, folium plicaturas, motus & effectum, animo si pensitaverimus, videbimus Mathematum artificiis & principiis convenienter hæc omnia præstari, ac determinari; videbimus rotas & machinas requiri plurimas, aquis potissimum agitan-das, Hydrostaticis, aërometricis & mechanicis legibus adtemperandas. Eadem est ratio, omnium, quæ deinceps subire debent quævis metalla fusionum & malleationum. Monetæ, in quibus ex metallis imprimis nobilioribus, numismata cudi solent, quæ non requirunt Mathematicorum inventa? Quomodo debitus valor, magnitudo, figura & elegantia, nummis conciliari posset, nisi variæ ad hoc præstandum machinæ adessent?

#### §. IV.

**O**Mnis generis Fabricæ & opicia, diversa, ea-  
demque fere innumera, sibi exposcunt instru-  
B menta

menta & multiplicem machinarum apparatus, hinc neque Mathematum carere possunt auxilio. Ubi vero ad florem fabricarum sufficiens deest laborantium numerus, tanto majori opus est mathematicorum industria, ut machinis ingeniose constructis, huic malo medela inveniatur. Istorum Politicorum non possumus non mirari ridiculam certe prudentiam, qui non omnia machinarum in fabricis compendia toleranda esse existimant, eam imprimis ob caussam, quod multi subditorum in fabricis prius operantium, sic fame perire vel ad exteris regiones semet conferre cogerentur. Hi certe non perspiciunt, quotuplici modo prudens in republica Imperans subditorum abundantia, ad florem reipublicæ promovendum uti poterit. Nos nullam existisse, neque extare posse credimus societatem, populo licet abundantissimam, in qua non omnia quorumcunque laborum compendia, summo cum societatis lucro adoptari possent. Ponamus enim tales excogitari posse machinas, quarum ope, venti agros & prata nostra colerent, quarum ope, pisces & animalia pro lubitu & absque labore tædioso capi possent, quarum denique ope, tota res metallica & labores eo pertinentes, vel nulla vel modica plane nostra molestia peragerentur, sive in cæteris. Aurea equidem tum redirent secula, nec felicior unquam existeret societas. Sed vitiis dedita, inquietus, forsan, brevi semet ipsam destrueret. Ego vero hanc nego consequentiam, nunquam enim deerunt occupationes &

& studia ad ingenii culturam potissimum pertinentia, & hominem a brutis discernentia, quibus a nimio otio & a vitiis nihilominus revocari possent homines. Sed redeamus ad Fabricas, Colos, & machinas textorias earundemque millenam & artificiosam intueamur diversitatem; diversissima ex lino, lana, Gossypio & Holoferico facta in fabricis vestimentorum genera, mira colorum figurarumque varietate oculis blandientia, admirerunt, fila necundi rationem & texturas varias pensitemus, & innumera ad hæc omnia præstanta, compendia excogitari posse a solerti mechanico facile intelligemus. Eandem esse Fabricarum & opificiorum reliquorum, tantum non omnium, conditionem, quilibet facili negotio perspiciet; optamus itaque, ut ingenia inventionum fertilia, & mechanicis principiis imbuta, ad scientias & artes fabriles excolendas, ditandas, incitari possent, & dolemus occidisse stupendum in hoc scientiarum genere lumen, Polheimianum. Sed simul dolemus illam esse rerum humanarum conditionem & hominum inconstantiam, ut semel inventis artificiis diu contenti esse nequeant. Qualis venturorum seculorum futurus sit gustus, quænam ornamenta & luxus materiæ, ignoramus, id certo augurari possumus, nostri ævi dexterimos artifices & offices, qui tot laudibus evehuntur, tantis divitiis cumulantur, si post aliquot secula ex pulvere denuo prodirent suo, vel fame & inedia interituros, vel nova plane vitam sustinendi artifacia excogi-

cogitatuos fore. Prudenti autem Politico id observandum esse existimamus, ut nimia novas artes ad inutilem luxum pertinentes, indies excogitandi licentia compescatur, alioquin enim fabri- carum ad noxiam ejusmodi vitam pertinentium nullus erit finis & modus, luxu per universam socie- tatem semet insinuante; Luxuriosam vero vivendi rationem sequitur laborum fuga & pigritia ipso- rum quoque ruricolarum & artificum, unde pre- tium mercium ad vitam & luxum sustentandum necessariarum augebitur, proventus annui non sufficient, donorum acceptiones, injuriæ, discor- diæ, postremo rapinæ & tandem totius reipublicæ eversio. Græcorum, Romanorum & aliarum plu- rimarum opulentissimarum civitatum, quæ olim regnabant in rostris, nunc silent in pulvere, hæc docent exempla.

## §. V.

**C**ommenciorum, quanta sit in republica utili- tas & necessitas, cuilibet notum est, quippe quorum ope non modo naturæ, sed artis etiam & diligentiae supplentur defectus. Quæ in diffitis orbis regionibus proveniunt naturæ divitiæ, ad nos importantur & nostri vicissim soli producta exportantur. His vero quanta commoda præbeant sci- entiae Mathematicæ, quis debite exponet? Navi- gationes per universum terrarum orbem, per im- mensa oceanii spatia sunt instituendæ, regionum & marium situs sunt indagandi, fluxus & refluxus maris

maris est pro situ locorum determinandus, acus magneticæ declinationes sunt observandæ, &c. similia, quæ omnia mathematum periti docebunt, & non alii. De architectura autem navalی quid dicam, nonne illa tota subtilissimis matheseos nititur principiis. Navigationes autem fluviatiles & lacustres, quanto non sunt commerciis emolumen-  
to, quantam non requirunt solertium Mathematicorum industria, si commode & cum lucro sint instituendæ. Gallorum, Germanorum, Italorum & Sinensium imprimis loquuntur aquæductus innumerí per longissimos terrarum tractus protensi, claustris & crepidinibus & variis aliis machinis instructi. Loquatur ingens Machinarum appara-  
tus, qui Hielmarum & Mælarum interjacent, qui que cataractas albis Gothici navigabiles reddunt; Polhemii, Elvii, Horlemannii, aliorumque Mathematicorum laudes depredicent; nostri vero institu-  
ti ratio hæc omnia pluribus persequi vetat.

SOLI DEO GLORIA.



etiam quod invenimus in libro de vita et morte  
Iusti. Quod in libro de vita et morte Iusti  
est. Non enim est in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.  
Est enim in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.  
Est enim in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.  
Est enim in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.  
Est enim in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.  
Est enim in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.  
Est enim in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.  
Est enim in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.  
Est enim in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.  
Est enim in libro de vita et morte Iusti  
quod non est in libro de vita et morte Iusti.

NON PRO CIVITATE

GRECOV